



FRATER HILARIUS VIBONENSIS FRATRVM CAPUCINORVM
GUARDIANVS.

P. F. HILARIUS VIBONENSIS, Sacerdos, Vir omnium virtutum splendore illustris, mortua Conjuge, ex qua filium suscepserat, se se Capuccinorum Religioni indissolubili votorum vinculo copulavit. Hic jejunis, ciliciis, flagellationibus, vigiliis, domesticum hostem sic aggreditur, ut brevi eum ad spiritus servitatem compelleret. Nemo illo humilior, nemo ad obedientiam promptius, nemo pauperior, honestior nemo. Vitæ innocentia, mentis puritate, simplicitate, patientia, charitate in pauperes, & ægrotos ita præcelluit, ut cunctis esset norma vivendi. Die, nocteque orationi insistens, ægre ab ea divelli posse videbatur. Ex assidua vulnerum Domini memoria, jugi lacrymarum imbre sic madebat, ut oculis illi præ fletu caligantibus, eorum ferme lumine careret: cumque facra Altaris mysteria, ad quæ maxima religione ferebatur, jam peragere non valeret, ad Deiparae Virginis, cujus erat cultor eximus, patrocinium confugiens, id ipsius suffragio asequitur, ut eo tempore dumtaxat, quo sacræ mysteriæ vacaret, literarum apices perpicue distingueret, & cuncta agenda clare abique perspicillis intueretur, qui antequam Altare accederet, nec homines, nec parietes discernere valebat; mox vero, ut sacra peregerat, prioribus tenebris oculi caligabant. Erat Hilarius spiritu Propheticō, & miraculorum gloria illustris. Viboni nobilem quandam juvenem, qui in ea Urbe factiones alebat, dum in Conventus nostri area cum aliis deambularet, serio admonet, ut, depositis odiis, pulsis simulatibus, animum quantocius a sceleribus expiatet, fore etenim ut ultra quindennum diem vitam suam non protraheret. Ridere primum ille dicto; mox horrere, ob Virti notam sanctimoniam; cuius consilio acquiescens, rebus suis cum Deo, ac hominibus rite compositis, quintadecima die, cunctis admirantibus, e vivis excedit. Post hanc Angelico Panormitanu-

(202)
Provinciali Vicario Licatam proficisci vitæ finem prænuntiat, quam ibidem, visitationis munere expleto, cum morte commutaret. Similiter & Joanni Mariæ a Castro Veterano futuram Provincialatus dignitatem, quam post Angelico excessum consecuturus erat, & obitum in expleto triennii munere præsignificat, utrumque rei eventu contingente. Postremo senectute gravis, & sanctimonia inclitus, Viboni dum noctu ad matutinas horas properaret, e gradibus dilapsus, in morbum incidit; atque eodem tempore Cosmus ejus filius ægrotare coepit; qui paucis ante Hilariom diebus e vivis excedens, Patri apparuit, benedictionem postulat, manus exsulcatur, immensaque illi, ob adeptam ipsius causa a Deo salutem, gratias referat. Hilarius vero post unam, alteramve diem magna cum pietatis, ac sanctimoniae laude spiritum Deo reddidit. Post obitum, Joannes a Caltanissetta Laicus, qui gravissimo capitis dolore divexabatur, cum vitta, qua defuncti mentum alligatum fuerat, sibi caput præcingeret, protinus tam perfete convaluit, ut eo nunquam deinceps laboraverit. Porro hac vitta, quæ nunc Panormi asservatur, plurima circa ægros, ac præseruum vertigine oppressos miracula patruntur. Antonia Scidita, Nobilis Mulier Vibonensis, altero cruce ita laborans, ut incedere minime valeret, defuncti manu illud contingens, mox integra cruris incolumente potitur. Joannes Franchinus Vibonensis, & altera ejusdem Urbis mulier, renum dolore dire prægravata; Adolescens itidem ex calculo graviter infirmatus, ad sancti Viri sepulcrum integræ sanctantrum Antonini cuiusdam uxori morbo infanabili detenta, Hilarionis cingulo canabaceo collo imposito mox convalescit. Denique qui quartana, tertiana, aut continua febre infestabantur, ad illius sepulcrum accedentes, incolumes recedebant. Obiit Vir sanctus Anno 1605.